

semper sumus, qui meminimus et tenemus, quid esse accepta gratia cooperimus, computemus noctem pro die. Ambulare nos credamus semper in lumine, non impediamur à tenebris quas evasimus; nulla sint horis nocturnis precum damna; nulla orationum pigra et ignava dispendia. Per Dei indulgentiam recreati spiritualiter et renati imitemur quod futuri sumus: habituri in regno sine interventu noctis solum diem, sic nocte, quasi in lumine vigilemus: oraturi semper et acturi gratias Deo: hic quoque orare, et gratias agere non desinamus.

## S. CAECILII CYPRIANI

### LIBER DE UNITATE ECCLESIAE.

I. Cum moneat Dominus et dicat: Vos estis sal terrae, cumque esse nos jubeat ad innocentiam simplices, et tamen cum simplicitate prudentes, quid aliud, fratres dilectissimi, quam providere nos convenit, et sollicito corde vigilantes subdoli hostis insidias intelligere pariter et cavere, ne qui Christum sapientiam Dei patris induimus, minus sapere in tuenda salute videamur? Neque enim persecutio sola metuenda est, et ea, quae subruendis et dejiciendis Dei servis aperta impugnatione grassantur. Facilior cautio est, ubi manifesta formido est; et ad certamen animus ante praestruitur, quando se adversarius confitetur. Plus metuendus est et cavendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, unde et nomen serpentis accepit. Ea est semper ejus astutia: ea est circumveniendi hominis caeca et latebrosa fallacia: sic ab initio statim mundi fecellit, et verbis mendacibus blandiens, rudes animas incauta